



# The Holy See

---

IOANNES PP. XXIII

LITTERAE APOSTOLICAE

*MERITO PRAEDICATUR*

TITULUS AC PRIVILEGIA BASILICAE MINORIS  
ECCLESIAE CATHEDRALI CAESENATENSI CONFERUNTUR

Ad perpetuam rei memoriam. — Merito praedicatur templum princeps Caenas, quod saeculo XIV Romano, uti appellant, architectandi genere exstructum, amplitudine molis commendatur et cultu multiplici. Quae insignis ecclesia, anno MDCCXX a Petro Francisco Cardinali Orsini, qui postea renunciatus est Benedictus Pp. XIII, Decessor Noster, rite consecrata ac temporum successu variis aucta ornamentis, ad pristinum elegantiusque exemplar feliciter est restituta. Est etiam prae Nobis ferendum in salutaris lavacri fonte, ibi constituto, sacro baptisate tinctos esse Decessores Nostros Pium Pp. VI et Pium Pp. VII, cives Caenates; quorum priorem, Vindobona reducem, imaginem Beatae Mariae Virginis, eodem in templo excultam, aureo diademate redimivisse. Quibus permotus votumque Decessorum suorum ad effectum deducere cupiens, Venerabilis Frater Augustus Gianfranceschi, Episcopus Caenatensis, Nos rogavit, ut cathedralem ecclesiam suam nomine ac iure Basilicae Minoris auferemus. Quibus precibus libenti animo obsecundantes, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum ecclesiam cathedralem Caenatensis dioecesis ad dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae templis eodem nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die I mensis Iulii anno MCMLX,  
Pontificatus Nostri secundo.*

D. Card. TARDINI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana